

1571 loco res nostræ essent, hostes facile cognoscerent. Miles cum adversus edictum fecisset, statim lethali supplicio, elisis fau- cibus, poenas dedit. Cum igitur provocatos respondere nus- quam nostros Turcæ animadverterent, sagittarum amentis alligatas literas, qua italico, qua græco, qua turcico idio- mate conscriptas, in urbem jaciunt. In iis ad deditiōnem faciendam suasiones continebantur; statimque præfēcto, ac ducibus deferebantur; neque Mustaphas ipse, colloquio per captivos petito, responsum tulit.

Eodem tempore, Andreutii, & Sanctæ Nappæ hemicycliis penitus occupatis, se se ad retractorum aggerum suffosio- nem hostes provehunt; adversus ignium vim, qui e summo jaciebantur, contabulatis ea magnitudine utuntur, ut deni tecti operi incumbant. Sed a nostris pice sulphuri imixta, flammis adhuc excitatis, corripiuntur. Iis ut obsistant, re- cens detractis bovinis coriis eadem tabulata contegunt. Haud dispari labore ingentem aggerem, vel potius mon- tem in fossa e regione navalium murorum tollere, atque saccis humo oppletis, virgultisque crassiorem reddere adni- tuntur. Propugnatores cum egressu in fossas prohiberen- tur, sagittas cum sacculis infartis pūlvere elaborato, & ma- gnis arcibus, altero adducente arcu, altero igniculo ad- movente, ejaculabantur; quæ fascibus, ac virgultis impa- etæ vehemens incendium excitabant: flammis terra imposi- ta extinctis, conduplicata materia, hostes detrimentum sar- ciebant. Sæpius noctu armis lacescebant, intempestis non- nunquam tenebris taciti sese usque ad summa verberatio- num loca, quo melius situm perdisserent, illati a nostris assidua sclopporum excussione summovebantur. At quo- niam plerisque in locis, qua verberatio fiebat, protegenti- bus stratis aggeribus, ab una ad alteram munitionem trajicientes milites, sagittis, ac glandibus hostium pate- bant: fossa in quinque pedum altitudinem in aggeribus ipsis, qua tuto ultro citroque commeari posset, perduci- tur.

Jam ad tertium idus julii ventum erat, cum indigna- bundi Turcæ per summum copiarum contemptum præci- puam civitatis portam adhuc apertam teneri, cum præser- tim